

DE VET. COMOED.

καὶ τὰ, ἀεὶ πρὸς θεῶν ὄντων καὶ νόμων. καὶ τούτων λεγομένων οἱ σωμαῖοι εἰς αὐτοὺς ταῦτα σάφ' ἔργους ἐ-  
 γίνοιτο τῆς λοιποῦ. ἐπεὶ οὐκ ἄεὶσα τὰ τὸ ἔχρον ἐδόκει, καὶ τῆς πολιτείας σωμαῖον, ἄτε τὸ μὲν ἀδικίας ἐν-  
 τεῦθεν πάντ' ἄσπασιν ἀναγενομένης. δικαιοσύνης δὲ ἀντίσπαστομένης καὶ ξόπων χρησῶν, ἐξέχθησαν ὅππῃ  
 τὰ τοὶ κωμικοὶ ποιηταί, ἐν μέρει παιδῶν σκώμματα τε τῶν ἀδικουμένων, καὶ διδαχῶν ὧν ἀεὶ σῆκεν  
 ἐξαζόμενοι. ἦ δὲν τὸ ἡ κωμωδία ἐν τοῖς Διονυσιακοῖς, ἕως ἄρα.

*De veteri Comœdia eiusque partibus.*

QVÆ alij scriptores de origine Comœdiæ, ac inprimis de eius inuentoribus, itém-  
 que de discrimine inter Comœdiam & Tragœdiam, memoriæ tradiderunt, ea  
 hoc loco superuacanea esse duco, neque ex aliorum libris repetenda: cùm nulli homi-  
 num sint ignota, nisi literatum rudi atque imperito. Fuisse autem aliam veterem Co-  
 mœdiam, qualis Aristophanica est: aliam nouam, qualis Plautina & Terentiana, id in-  
 confesso est apud omnes. atque hæ ambæ multis inter se differunt modis, videlicet  
 tempore, materia, phrasi, metro, & partibus, earumque dispositione. Tempore qui-  
 dem, quòd vetus Comœdia maximè viguit temporibus belli Peloponnesiaci, & paulò  
 antè, cùm Theopompus, Phœrecrates, Crates, Eupolis, Cratinus, Aristophanes, & alij  
 suas exhibuerunt populo Comœdias. Noua viguit posteris temporibus, quibus Menân-  
 der, Posidippus, Diphilus, Apollodorus, & similes scriptitârunt: quos apud Latinos  
 imitati sunt Plautus & Terentius. Materia verò discrepant, quòd vetus Comœdia, res  
 veras & gestas, verasque personas in theatrum producit: noua autem personas fingit,  
 sed in speciem veras, & ad vitæ humanæ similitudinem ac speculum, in quo homines  
 vitam morésque suos contemplantur. Differunt & phrasi. nam vetus Comœdia di-  
 ctionem habet grandiolem, & paulò minus æquabilem: noua, puriorem, æquabilio-  
 rem, & elegantiolem, non apud Græcos tantum, sed etiam apud Latinos. Præterea aliæ  
 sunt partes veteris Comœdiæ, nempe Actus & Chorus: aliæ nouæ, argu-  
 mentum, prologus, & Actus. nam Argumentum res noua est, noua item  
 res & Prologus est: sicut ex collatione Aristophanis cum Plauto apparet.  
 Chorum noua Comœdia prorsus amisit: sed quæ de persona Poetæ in veteri Comœdia  
 agebat Chorus, ea dein de Prologus præstabat in noua. Dispositione etiam & numero  
 Actuum differunt. Noua enim ultra quintum Actum non producebatur: at vetus plu-  
 res videtur Actus habuisse. Ideoque difficile mihi fuit Aristophanicas Comœdias, La-  
 tinorum more in actus distinguere, & actus ipsos in scenas subdistinguere. Qua in re, si  
 quibus non satisfacio, ab illis admoneri & doceri cupio. Duas autem partes antiquæ  
 Comœdiæ, quas dixi, Actum & Chorum exemplo Cæsarî Scaligeri, sic partiri libet, vt  
 Actus contineat in se speciaris partes: Protasin, Epitasin, Catastasin, & Catastrophen,  
 nisi quis Actus scenicos, & has partes Comœdiæ, dispositione magis, quàm materia  
 discrepare velit. Et quoniam hæ singulæ partes pro subiectæ materiæ varietate, aut cõ-  
 trahi, aut extendi solent: idèd plures quàm quatuor, & ferè quinque Actus habet quæ-  
 libet Comœdia. Nam interdum longior est Protasis, interdum Epitasis longior: non-  
 nunquam res plures in Catastasin, sæpius in Catastrophen incidunt, ita, vt harum vna  
 duos Actus nonnunquam compleat. Protasis est, in qua proponuntur & suscipiuntur  
 consilia rei gerendæ. Epitasis, in quo sunt consiliorum progressus, & turbæ negocio-  
 rum crescunt. Catastasis est vigor, ac status fabulæ, in quo res miscetur in ea fortunæ  
 tempestate, in quam subducta est. Ibi plerunque mirabiles incidunt controuersia & dis-  
 putationes de suscepto negocio. Nam peculiare hoc habet Aristophanes, vt in Catasta-  
 si totius negocij summam in dubium vocet. Catastrophe inopinatum consiliorum, &  
 rerum gestarum euentum continet: siue is lætus sit, siue tristis, siue vtrunque. Hæc pars  
 apud Aristophanem aut simplex est, aut multiplex. Simplicem voco Catastrophem, vbi  
 non admiscetur nouæ personæ, quæ prius in theatrum non venerint: sed exitus tantum  
 illorum acta manet, qui in scenam fuerant producti: vt in Ranis, Equitibus, Acharnen-  
 sibus, & alibi. Multiplicem verò, quando idem euentus aliquibus bono, aliquibus ma-  
 lo cedit, & varij vtriusque generis homines introducuntur, quorum aliqui eodem exitu  
 rerum præteritarum lætantur, aliqui contristantur: sicut in Pluto fit, vbi visus ocu-  
 lati Pluti nocet sycophantis, & lasciuientibus vetulis, atque idem prodest iustis & pro-  
 bis: nocet tamen etiam cultui religionis, & impedit studium virtutis. Atque huiusmo-  
 di